



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hydra Prophanarum Novitatum, Sive Descriptio Historico-Theologica causarum principalium omnium irrepentium Hæreseon ac Schismatum: unàque Generalis earundem prophanarum Novitatum confutatio


Alexander <a Sancta Theresia>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Caput IV. Pertinax & obstinatum contentionis studium, nec non discordia circa Religionem, sunt schismatis, prophanæq[ue] novitatis seu hæreseos causæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35361

diaboli fraudibus seducti ac excæcati novi-
rones, sub specioso Christi nomine, & præter
veræ fidei, spei, charitatis, ac pietatis, quæ
bolus magistris superbis, & novarum propo-
narum opinionum avidis semper obtendit.
sa sua dogmata contentur abscondere, ac sum-
eibus Catholicis tenebras pro luce, perfidiam
pro fide, præsumptionem pro spe, odium
dilectione, impietatem pro pietate, super-
tione pro Religione, hæresim, inquam, pro
fide orthodoxa proponant ac persuadeant, &
in hujus Opusculi decursu sæpius ostendemus.



CAPUT IV. Hydræ.

*Pertinax & obstinatum contentio-
nis studium, nec non discordia circa
Religionem, sunt schismatis,
prophanaque novitatis seu
hæreseos causa.*

SIC ferè evenire consuevit, ut, quemadmo-
dum virtutes, ita & vitia quasi catenâ qua-
dam colligentur, atq; ex peccato uno alterum
gravius pullulescat: superbia namq; progignit
odium ac invidiam, de quibus *Cap. superbia*
hæreses ac schismata videmus prodire: invidiam
verò contentiones, lites, jurgia, ac rixas, quæ
tandem in hæreses ac schismata quoque pro-
sumpere, præsens evincet *caput.* Ab Apo-
stolo

Atolo sumo exordium; (a) *Siquis, inquit, aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei, quae secundum pietatem est, doctrina: superbus est; nihil sciens, sed languens circa quaestiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiae, contentiones, blasphemiae, suspiciones male, consuetationes hominum mente corruptorum, & qui veritate privati sunt, existimantium quastum esse pietatem.* Quibus verbis Gentium Doctor clarè describit hominis hæretici genium, hæresisque characterem ac originem: asserit namque hæreticum esse superbum; superbiam autem omnium hæresum esse matrem *Caput Primum* ostendit: huius verò typi superbiæ clarissimum est argumentum, quod hæretici doceant aliter quàm veritas fidei exigat, *nec acquiescunt sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei, quae secundum pietatem est, doctrina;* non enim credunt Ecclesiae, non Evangelio, nisi in iis rebus quæ sibi placent. Unde sanctus Augustinus: (b) *Undique tergiversatio, inquit, (ò Manichæi!) vestra contunditur. Apertè dicite vos non credere Christi Evangelio: nam qui in Evangelio quod vultis creditis, quod vultis non creditis, vobis potius quàm Evangelio creditis.* Qua de causa hæretici rarò disputando, sed magis orando convincuntur: nolunt enim victi videri, nam languent, desipiunt, ac pertinaciter hærent *circa quaestiones & pugnas verborum, neglectâ auctoritatē*

b Lib. 17:
 contra
 Faustum:
 cap. 3.

ritatē

Epist. 56

ritate Ecclesiæ, ac veritate Evangeliorum. *Quasi regularis est illa temeritas, scilicet ut venitur auctoritatem stabilissimam fundatissimæ Ecclesiæ, quasi rationis nomine & pollicem ratione superare.* Atque hic est fons omnium hæresium, proprium scilicet iudicium & ratio; dum enim pertinaciter propriæ rationi ac logicæ insistitur, necesse est, ut quot sunt iudicia, tot subnascantur sectæ ac hæreses; unde confusissima hujus ætatis hæresum colluctatio est perspicuum: fides enim cum credendo non discurrendo ac inaniter ratiocinando, quæstionesque movendo, inventiatur, fit, & hæretici cum semper dubitent, semper quæstiones moveant, numquam fidem inveniunt, cuius quoque rationem dat Theophilactus. *Quia, inquit, fides est oculus; qui non habet oculos, nihil videt, nihil invenit, sed tantummodo querit; de quibus Apostolus ait, quod semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes.* Pulchrè etiam D. Chrysostomus: *Quando, inquit, anima cogitationum vincitur febre, quando ambiguitas præbetur fluctu, tunc querit; cum verò illa sanata est, non querit, sed fideliter credit: nam ex quæstione & contentione verborum inveniri nihil potest.* Nimirum sola fides est, que mentem in veritate stabilis, & quæstiones omnes excludit; fides enim docet credere quæ non vides, quæ non capis, quæ non

intelligis, fides docet Deum omnipotentem esse, Deoque omnia, etiam quæ nos non intelligimus, esse possibile.

Recentet deinde Apostolus fructus questionum ac logomachiarum superbiorum Novatorum. Primus est *invidia*; quisque enim eorum volens eminere & videri sapientior, invidet alteri, si plus sapere, aut plus auctoritatis & gratiæ habere videatur; & eò quandoque insaniam ac obdurationis prolabantur, ut malint in concepto errore pertinaciter persistere, quàm cum iis, quibus invident, veritatem amplecti, ac pacem tenere; quippe cum quibus nihil volunt habere commune. In quos quadrat illud S. Augustini; *(a) Urget eos undique veritas, vident se non habere quod respondeant, & putant se habere quid faciant. Quid loquantur non inveniunt, facere non permittuntur; malunt perversis vocibus veritati reluctari, quàm confessis erroribus paci restituere.* Secundus fructus sunt *contentiones*, sive pro gloria & honore concertationes & altercationes; Novatores namque non disputant eo fine, ut veritatem allequantur ac dilucident, sed ut tenebrosos logomachis involvant ac obnubilent, utque adversam partem superasse; ac de eà triumphare videantur. Tertius fructus sunt *blasphemiam* imprimis improprie dictæ, videlicet convitia & maledicta in antagonistam, & alios diversa sentientes.

a Lib. 2. de
un. Bap.
cap. 7.

tes. Deinde hærefes ac propriè blasphemæ
 in Deum & Sanctos, ut rectè Oecumenius
*Necesse est, ut qui omnia humanis metum
 rationibus, incidat in blasphemias, ut nimium
 calumnietur DEI omnipotentiam, immen-
 sitatem, providentiam.* Tales blasphemæ
 horrendissimæ quotidie nostris insonant au-
 ribus, dum Novatorum perstrepunt logoma-
 chiæ, ex. gr. Deum esse auctorem tam opo-
 rum malorum quàm bonorum, tam prodigio-
 nis Judæ, quàm vocationis Petri: *Aliqua De-
 præcepta hominibus iustis volentibus, & contra-
 rias, secundum præsentis, quas habent
 res, esse impossibilia, deesse quoque illis gra-
 tiam, quâ possibilia fiant.* *Sempelag-
 num esse dicere, Christum pro omnibus omnium
 hominibus mortuum esse, aut sanguinem sudisse.*
 Sublimissimam DEI Matrem cæteris virgi-
 nibus aut feminis conjugatis non esse dignio-
 rem, sed vilem ac abjectam esse muliercu-
 lam. Deum in Sanctis non esse honoran-
 dum. Imagines ac Reliquias Sanctorum ve-
 lut idola esse abolendas ac exurendas:
 ac talia sexcenta: Hi sunt confectio-
 ac contentio-
 rum prophanorum Novato-
 rum fructus, blasphemæ horrendæque
 hærefes: Unde & Apostolus ait eos ve-
 ritate privatos: verum enim est illud
 Publii: *Nimum altercando veritas amittitur,*
 sed & error ac falsitas incurritur:
 cum enim contentiosus quisquam semel pug-
 nam

nam ac certamen inierit, fas sibi non esse ducit, cedere adversario, aut mitigari: ac propterea animoso quodam furore, non tam irritatus quam insaniens, quam semel inceperit causam, sive æquam, sive iniquam, sive veram, sive falsam, in ea pertinaci animi obstinatione persistit; unde contentionis studio correptus, non solum anfas dissidiorum ac rixarum arripit, verum etiam qualvis occasiones semel arreptas mordicus retinet, easdemque summa cum exaggeratione amplificat, & non prius desistit à sententia, etiam falsa ac hæretica, quam impetus & cupiditatis suæ libidinem expleverit, nunquam ei factum est satis, nisi ejus perversa fiat voluntas. Ita ut verè, & ad hanc rem, de qua agimus accommodatè scripserit Optatus: (a) *Factionem esse matrem schismatis*, tum simplicis, tum mixti, sive cum hæresi conjuncti. *Qui- cumque igitur turbulenta ac effreni hanc amentiam aguntur, aptissima sunt sathanæ mancipia, quorum indefensâ operâ simultatum, discordiarum, schismatum, ac hæresum segetem serat uberrimam, de quibus divinum hoc pronuntiatum est oraculum: Semper jurgia querit malus: (b) Angelus autem crudelis mittitur contra eum. Expedi magis urse occurrere raptis foetibus, quam fa- turo confidenti sibi in stultitia sua.*

a Lib. 2.
cont. Don-
natistæ

b Prov. 17

L 3

Pro

Poterantne magis vividè eorum mores
pingi, qui contentiosè contra sanam, Catho-
licamque doctrinam debachantur? An non
tanquam ferocientes ursæ, avitæ fidei pu-
pugnatores, si non in corpore, saltem
honore ac fama dilacerant ac proscindunt
tanquam scarabæi enim fimo ac stercore,
tanquam muscæ carnivoræ ulceribus pu-
cuntur & gaudent. Quis id non videt
qui eorum petulantes ac maledicas inve-
vas, qui contumeliosa eorum scripta ac do-
vel legerit vel audierit? Nonne invidiosè
ac rabiosè Orthodoxorum gesta expiscantur
explorant, & ad contumeliam rapiunt
ac detorquent? Nonne, ubi nihil ali-
ris, nihil non sanum reperiunt, sepius
arrodendo, & venenatæ linguæ aculeos
figendo, quasi ulcerosum quidpiam & fi-
mosum elicere & exugere conantur? Illi
sunt, qui suâ indomitâ ac inflexibili per-
caciâ, pace sublata in hæreses ac schismata pro-
siliunt.

*a Lib. 10.
de Trin.
in princip.*

Porro D. Hilarius (a) præclare contentio-
nis originem, ac indolem contentiosorum
pandit, dicens. „Non est ambiguum, con-
„nem humani eloquii sermonem contra-
„ctiioni obnoxium semper fuisse, qua dissentien-
„entibus voluntatum motibus, dissentien-
„tium quoque sit sensus animorum: cum ad veritas
„tium judiciorum affectione compugnatis
„assertionibus his quibus offenditur, contra-
ditur.

dicit. Quamvis enim omne dictum veri ,
ratione perfectum sit , tamen dum aliud ,
aliis aut videtur , aut complacet , patet ve-
ritatis sermo adversantium responsioni, quia ,
contra veritatem aut non intellectam , aut ,
offendentem , vel stultæ , vel vitiosæ vo-
luntatis error obnititur. Immoderata enim ,
est omnis susceptarum voluntatum pertina-
cia , & inflexo motu adversandi studium ,
persistit, ubi non rationi voluntas subjicitur ,
nec studium doctrinæ impenditur , sed his ,
quæ volumus, rationem conquirimus, & his ,
quæ studemus doctrinam coaptamus. Jam-
que nominis potius quàm naturæ erit do-
ctrina quæ fingitur , & non jam veri ma-
nebit ratio , sed placiti : quam sibi voluntas ,
magis ad defensionem placentium coapta-
vit , non quæ voluntatis instinctum per in-
telligentiam veri rationabilis incitavit. Per
hæc igitur vitia studiosarum voluntatum, o-
mnes adversantium intentionum emergunt
contradictiones: & inter veri assertionem &
placiti defensionem pertinax pugna est, dum
se & veritas tenet , & tuetur volun-
tas. Cæterum si non præiret rationem ,
voluntas , sed per veri intelligentiam ,
ad velle id quod verum est , movere-
tur , nunquam doctrina voluntati quære-
tur , sed voluntatem omnem doctrinæ ra-
tio commoveret , essetque omnis sine con-
tradictione veritatis sermo , cum unus ,

quisque non quod velle, id verum esse de-
 fenderet, sed quod verum est, id velle co-
 piffer. Harum itaque vitiosarum vo-
 luntatum non ignarus Apostolus, inter
 multa contestandæ fidei, & prædicandæ
 verbi præcepta, ad Timotheum scribens,
 ait: *Erit tempus, cum sanam doctrinam non
 sustinebunt, sed ad sua desideria coacer-
 vabunt sibi Magistros prurientes auribus. Et à ver-
 tate quidem auditum avertent, ad fabulas sa-
 tem convertentur.* Ubi enim per impietatis
 studium extra sanæ doctrinæ patientiam e-
 runt, tunc his quæ desiderant coacer-
 vabunt Magistros, apra scilicet cupiditatibus suis
 doctrinarum instituta cumulantes, neque
 doceri se desiderantes, sed Doctores ad id
 quod desiderant, congregantes: ut cum-
 lus ipse conquisitorum & coacer-
 vatorum magistrorum, æstuantium desidio-
 rum satisfaciatur doctrinis. Et hic tantum
 stultæ religiositatis furor, quo tandem spi-
 ritu sanam doctrinam non sustinens, cor-
 ruptam desiderabit? Si ignorat, ab eodem Apo-
 stolo ad hunc eundem Timoth. scribente cog-
 noscat: Spiritus autem manifestè dicit, quia
 in novissimis temporibus recedent quidam
 à fide, attendentes spiritibus seductoribus,
 doctrinis dæmoniorum in hypocrisis menda-
 ciloquorum. Quis enim doctrinæ profectus
 est, placita magis quam docenda conquirere?

Aut quæ doctrinæ Religio est : non docen-
 da desiderare, sed desideratis coacervare do-
 ctrinam? Sed hæc seducentium spirituum
 incentiva suppeditant, & simulatæ Religio-
 nis falsiloquia confirmant : Sequitur enim
 fidei defectionem hypocrisis mendax, ut sit
 vel in verbis pietas, quam amiserit consci-
 entia. Et ipsam quidem simulatam pieta-
 tem omni verborum mendacio impiam red-
 dunt, falsæ doctrinæ institutis corruppen-
 tes sanctitatem fidei : dum secundum deside-
 ria studiorum potius, quàm secundum Evan-
 gelicam fidem, coacervata doctrina est. Au-
 ribus enim prurigine incitatis, dum per au-
 diendi impatientem oblectationem sub
vella desiderii sui prædicatione scalpuntur,
 ipsi penitens ab auditu veritatis alieni, totos
 se fabulis destinant; ut his quæ loquuntur
 veritatis speciem acquirant, dum quæ vera
 sunt, & loqui & audire non possunt. Incidi-
 mus planè in hoc prophetiæ Apostolicæ
 molestissimum tempus. Conquisitis enim
 nunc creaturæ potiùs quàm Dei prædicandi
 Magistris, desideriiis humanis potiùs quàm
 sanæ fidei doctrinis studetur. Præclarus ac
 validus est iste Sancti Hilarii adversus proph-
 anos Novatores discursus, eoque luculenter
 ostendit, ipsos prolabi in contentiones, ac
 contradicendi veritati studium, & inde in
 mendacem hypocrisim, ac impias hæreses,
 quia cæca reguntur voluntate, non ratione ac

sanâ doctrinâ, coaptât quippè doctrinam pe-
 versis suis affectibus, odiis, invidiis avaritiis, au-
 bitionibus, non verò, ut oportet, affectus san-
 conformant doctrinæ; unde fit, quod quilibet
 penè hæresiarcha novam cudat S. Scripturam
 versionem ac interpretationem, verius dixerit
 corruptionem; cum enim diversis ducantur
 animi motibus & affectionibus, diversas et
 obtendunt ac coaptant doctrinas, ne, si genu-
 nam retinerent Scripturam, eorum mores
 doctrina divinæ Legi repugnare viderentur.
 Sancti verò ac Evangelici à simplicibus ha-
 bentur, quia suos mores ac dogmata suis, non
 Christi, obvelant Evangelii, verbi Dei cor-
 ruptelis, non novi testamenti oraculis, ut im-
 ponunt imperiti; quâ de re copiosus nobis
 erit sermo Cap. 8. & 9.

Post hæc audiamus S. Gregorium Nazian-
 zenum (a) graphicè quoque contentiosa, ge-
 nerosa ac effrænata, aut, ut hodie Novatores
 se jactitant *fortia ingenia* describentem, a
 schiltmata horrenda ab eis causata lamentan-
 tem. „ Generosa ingenia, *inquit*, quæ ratio in-
 „struit, ac rectè dirigit, multum ad virtutum
 „conferunt bona: quum vera scientia & ra-
 „tione fuerunt destituta, nequaquam malitia
 „dissimilia esse reperiuntur; nã & equum, quæ
 „victoriam reportare debet ferocem & gene-
 „rosam esse oportet, sive bellatorem, sive ce-
 „ratorem, qui inutilis esse, tsi frenum tolerat
 „nesciret, seu exercitiis ad laborem manusuo-
 factu

*a Orat. 22.
 de mode-
 stia in
 discepta-
 tionibus
 servanda.*

factus haud esset. Et hoc est, quod pluri-
mum membra distraxit, fratres sejunxit, ci-
vitates turbavit, populum in rabiem egit,
Gentes armavit, Reges concitavit, Sacerdo-
tes inter se & cum plebe commisit, nec non
populum inter se & cum Sacerdotibus, pa-
rentes contra filios incitavit, filios adversus
parentes, viros contra uxores, uxores adver-
sus maritos: cuncta demum benevolentiae no-
mina exacerbavit; Dominos ac servos inter
se, Praeceptores & discipulos, senes ac juve-
nes: sed & verecundiae legem, maximum ad
virtutem adminiculum, ignominiam affe-
cit; pro illaque pertinaciam introduxit, per
quam facti sumus non tribus una, quod &
olim exprobratum fuit populo Israëlitico:
Neque Israël & Judas, duæ unus & parvi
populi hujus particulæ: sed per domos sin-
gulas, & conjugia, necessitudinesque sumus,
dissecti: & quemadmodum unusquisque
contra seipsum est divisus, ita & orbis totus,
ac genus hominum universum, ad quod ser-
mo currit divinus: factusque est principa-
tus multorum, omni principatu cassus, ac
ossa nostra ad infernum sunt dispersa. O-
portebat autem postquam externos Chri-
stianorum hostes superassemus, ut invicem
nos consumeremus, ac vesanorum instar pro-
prium dilaceraremus carnem, nequaquam
sentientes, sed plus ob malum hoc gauden-
tes, quam si pacem inter nos haberemus, ca-
lami-

„lamitatemque hanc lucrum existimantes
 „Deoque cultum discidiam exhibere creden-
 „tes, quum dividimur & incendimur : Sepe
 „ratione nequaquam laudabili, sed vituperanda
 „ne : nec purò, sed pernicioso incendio, &
 „nequaquam purgativo : non enim verbum
 „secans, quod Christi est machera, fideliter
 „dividit ab infidelibus, nec ignis mittitur &
 „accenditur, fides nempe & spiritus fervor,
 „materiam absumens ac devorans : sed placidè
 „contrarium evenit, ut priùs consumamur,
 „deinde etiam dividamur. Hoc est, quod
 „ex una Ecclesia multas fecit ac divisit, non
 „in unum Paulum, vel Cepham, aut Apollos,
 „sive eum qui malè plantavit, seu malè riga-
 „vit, sed malè multos ostendit Paulos, & Apol-
 „llos, ac Cephas, „

Haec tenus Præsul Nazianzenus, qui satis ap-
 pertè ostendit, *ingenia generosa, fortia, con-*
tenfiosaque, uberrimam ac lugendissimam in
Ecclesia producere dissidiorum ac schismatum
segetem, dum malitiâ armata, rationeque
destituta voluntatis sequuntur placitum, non
verò prudentiæ ac sapientiæ ductum. Prose-
quitur sermonem paulò infrà, unàque à per-
niciosissimo contentions studio dehortatur.
 „Cæterum, *inquit*, quidnam hæc cuncta
 „(*schismata*) excitavit? Fervor nempe ratio-
 „nis expers, scientiaque haud toleranda, nec
 „non fluctuans, fidei gubernaculum. Hæc
 „fratres quum sciamus, nequaquam segnes si-
 „mus

mus ad bonum, sed spiritu ferveamus, ne,
umquam paulatim ad mortem dormiamus,
vel dormientibus prava nobis inimicus semi-
na interferat, siquidem segnities somno est,
cognata. Sed neque nimis fervidi & sine,
ratione, nostri solum amatores fiamus, ne à
regia via excedamus, omninò in uno aber-
rantes, vel quia stimulo propter segnitiam,
indigeamus, vel ob fervorem præcipitemur:
Sed ex ambobus quod utile est sumamus,
hujus quidem mansuetudinem, illius autem,
zelum: fugiamusque id quod ex utrisque est,
noxium, hujus quidem pigritiam, illius au-
tem temeritatem: ne quum hic cessamus,
nullum fructum inde feramus, ibi verò abun-
dantes periclitemur: utraque enim sunt inu-
tilia, tam segnities odiosa, quam fervor,
disciplinæ nescius: quoniam hæc nequa-
quam approximat bono, ille verò penitus ex-
orbitat, ac de dextero dexterius aliquid facit.
Quod & divinus Salomon cognovit, dum
ait: Noli declinare ad dexteram, nec
ad sinistram, neque propter contraria in æ-
quale incidas peccatum: quandoquidē quod
sui naturā dexterum est, laudat, vias, inqui-
ens, quæ à dextris sunt, Deus novit, at quæ
à sinistris, perverſæ existunt. Quomodo igi-
tur quod dextrum est laudat? ac rursus à
dextro abducit? Ab eo nempè quod dextrū
videtur, quum non sit: ad quod alibi respi-
ciens, ait: Ne fias nimium justus, neque sa-
piens

piens

„ piens immodicè : siquidem est eadem animi
 „ passio circa justitiam ac sapientiam, quæ
 „ fervoris qui in te & sermone accidit : quæ
 „ is extra honesti & virtutis limites propter ex-
 „ cessum cadit : nam pariter tam defectu
 „ quàm augmento offenditur : quemadmodum
 „ dum si regulæ quid addatur aut detrahatur
 „ Nullus igitur plus justus, quàm bene habe-
 „ existat, nec lege legalior, nec regulâ æquior
 „ neque mandato sublimior.

His omnibus præclare docentur generatim
 illa ac fortia ingenia ubique servare moderatam
 stiam ac moderamentum in scribendo, tum
 disputando, ne indomitò fervore præcipites
 tur in contentiones, rixas ac dissidia : quoniam
 nam verò res hæc haud exigui est momenti
 operæ pretium erit ; si eam cum eodem sancto
 Doctore plenius pertractemus, quidque con-
 tentiosorum abjectis respondeat, audiamus.
 „ Sanè turpè est, (*inquit longè infra*) ut quæ
 „ vestem & victum eligat, non splendidiorum
 „ sed viliorum, gentiumque callis, ac oculorum
 „ rum fontibus, jejuniis insuper & vigiliis,
 „ humo præterea dormitatione, labore,
 „ cunctis in rebus humilitatem, & propriam
 „ imbecillitatis conscientiam ostentat : in se-
 „ monibus verò de Deo se cunctis præferat
 „ hominibus, & planè Imperatorem & tyran-
 „ num agat, nullique omninò cedat, sed se
 „ percilia ultrà omnes legis Doctores attollat
 „ cum interim humilitas cum gloria securum
 te

tem etiam habeat. ,, Hic fucatam superbiam
 Novatorum S. Doctor vivis depingit colori-
 bus, præferunt namque habitu ac gestu humi-
 lilitatem, cum tumidum intus gerant animum;
 qui se prodit, dum cum avitæ fidei defensori-
 bus, quos odiò ac invidiâ persequuntur, con-
 ferunt, ac de doctrinis controversis disputant,
 tum enim supercilia super omnes Orthodoxos
 attollunt; & planè Imperatores ac tyrannos
 agunt (expertus loquor) nullique cedunt, ad-
 versariorum argumenta ut futilia contentiosè
 explodunt, sua verò commenta inflatis buccis
 ut oracula Sybillina faciunt personare. Sed ,,
 hic (*prosequor cum Nazianzeno*) ex ferven-
 tioribus quispiam supplodet, ac dicit: Num-
 quid de Deo tacebimus? Et hoc tu jubes? ,,
 de quo potius quàm de illo dicemus? Et ,,
 quonam constituemus istud: semper laus ,,
 ejus in ore meo: & benedicam Dominum ,,
 in omni tempore. Et, ecce labia mea non ,,
 prohibebo: verbaque talia proferet præme-
 ditata & hinc spectantia. Hinc mansuetè ,,
 & nequaquam molestis occurrere decet ver-
 bis, ut hinc modestia doceatur. Nequaquam ,,
 silere jubeo, ô sapientissime! *Sed haud con-* ,,
tentiosè decertare, non veritatem occultare, ,,
 sed haud præter legem docere: siquidem ,,
 inter primos ego sapientiam laudo eorum ,,
 qui in divinis exercentur Litteris, seu exerce-
 ri cupiunt, nec unquam exercitio huic ali-
 quid prætulero: nec malè à Philosophia ipsa ,,
 audi-

„ audire vellem, tanquam sapientiam ac disci-
 „ plinam spernerem, obiter tamen immo-
 „ destiam fugio, & insatiabilitatem reprehendo,
 „ do, malimque ignavior quam curiosus
 „ haberi, si non utraque effugere possem: ma-
 „ deratusque esse & timidior, quam audacior
 „ vocari: Tu verò quum ego cibi prohibeam
 „ intemperantiam, universum me cibum
 „ prohibere putas, aut etiam cæcitatem prohi-
 „ dere, quia modestè contueri jubeam. Si tibi
 „ sermo est prudens, responde quippiam, ac
 „ Scriptura, & nemo te prohibebit: sin
 „ nus, vinculum labiis tuis imponatur. Quam-
 „ tò magis hoc congruit iis, qui ad docendum
 „ sunt parati? Si tibi tempus est, doceto, sin
 „ minus, linguam coerce, auditum solve.
 „ Divina quidem contemplare, verum in
 „ terminis maneto: loquere quæ sunt spiritus
 „ tus, & si possibile est nil aliud, & potius
 „ loquere, quam anhelando præcipita. Hæc
 Divus Gregorius Nazianzenus, cujus utili-
 mam instructionem altissimè eunctorum Do-
 ctorum, ac disceptantium animis cupio im-
 pressam, ne, nimio fervore effervescente,
 prorumpant in contentiosas rixas, quibus
 pax frangitur, & veritas obnubilatur, ac hæ-
 retices incurruntur ac invalescunt.

Sanctus Augustinus disertis asserit verbis,
 contentionis studium Hæreticis esse pro-
 prium, hunc, post Nazianzenum, juvabit
 habere Magistrum, „ (a) Existat, inquit, &
 aliquis

Tom. 9.

† Pasto-

6.12.

aliquis Hæreticus, etsi non frater Diaboli, certè adjutor & filius : & ipsum dixerim perdicem *contentiosum animal*. Hoc enim animal, ut aucupes norunt, etiam contendendi studio capitur. Contendunt isti contra veritatem, & contenderunt ex quo se divisertint. Modò dicunt, contendere nolumus, quia jam capti sunt. O capte, aliquando tu eras, qui primis temporibus seditionis tuæ traditores arguebas, innocentes damna- bas, judicium Imperatoris quærebas, judicio Episcoporum non consentiebas, victus tories appellabas, apud ipsum Imperatorem studiosissimè litigabas, congregabas quæ non peperisti : ubi nunc est cervix tua, ubi lingua tua, ubi sibilus tuus? Certè in novissimis, tuis factus es insipiens. Hæc magnus Augustinus, qui apertè detegit Novatorum fraudulentiam, quâ callidè simulant se victos veritati acquiescere, & ad tempus, quando Superiorum autoritate ac veritatis demonstratione comprimuntur, obmutescunt, dum interim non desinunt hæreseos præconceptæ venena occultè in simplicium animos diffundere.

Quod illustri quoque testimoniò Sanctus & Magnus confirmat Gregorius super illud Job : (a) *Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo. Vocem suam cohibebant duces, & lingua eorum gutturi suo adhaerebat.* Qui hoc loco alii Duces vel Principes intelligi possunt, nisi hæreticæ pravitatis,

M

autho-

a Lib. 9.
moral. c. 20.
14. in Job.
19.

„ authores? De quibus per Psalmistam dicitur: (a) Effusa est contentio, super Principes eorum, & seduxerunt eos in invium, non in via. Ipsi etenim dum dispensationem Dei perversè interpretari non metuant, profectò plebes subditas non in eam viam, quæ Christusest, sed in invium trahunt. Super quos rectè quoque effusa contentio dicitur: quia suis sibi vicissim allegationibus contradicunt. „ *Subdit infra.* „ Hæreticarum plebium Principes, auctoritatem sanctæ Ecclesiæ perpendentes cessant loqui, & quasi ori suo digitum superponunt, dum falsis querelis non ratione vocis premi, sed virtutis manu significant. Vocem suam duces cohibent: quia mirum hi qui post se errantes populos trahere conantur, ne loqui per diversa numquam audeant, & auctoritatis frænantur pondere, & virtute rationis. Quorum lingua suo gutturi adhæret: quia etsi perversa loqui liberâ voce non audeant, intus tamen apud se contegunt cuncta, quæ contra veram fidem proponere falsa moliantur. Hæc Gregorius Magnus: quibus admone-mur, non esse plebem Catholicam ab Hæreticorum dolis ac fraudibus liberam, licet palam, auctoritate ac rationum momentis pressi, perversa dogmata non disseminent, interea enim temporis vires ac virus colligunt

gunt in occultis conventiculis, quod, oppor-
tunitatem nacti, expuant.

Subscribit Doctoribus Sanctis relatis no-
ster Venerabilis Waldensis animadvertens
in ferocem Witcleffistarum contendendi ac
disceptandi pertinaciam. „ (a) AUGUS- ^{a Tom. 3. in}
TINUS super illud Psal. 141. Tu cognovi- ^{prefat.}
sti semitas meas: Vis (inquit) ut ducat te,
per istas semitas? Esto mitis, esto mansue-
tus: noli esse ferox, noli esse superbus, noli
excusâ & erectâ cervice incedere, sicut e-
quus & mulus, quibus non est intellectus.
Cum enim fueris mitis, cum fueris mansue-
tus, insidebit Dominus, & diriget te per
vias rectas. Hæc ille. AUCTOR. Si
igitur mitis asina Domini essent Witcleff-
istæ, non excusâ cervice sicut ferox pullus,
Apostolicas vestes excuterent. Nec ex hoc
satisfacient Christo, quod se præbent illi
nudos vectores, secundum nudam doctri-
nam Salvatoris, dum per temeritatem men-
tis, vestes recusant Ecclesiæ, ne ornent eam
in omnibus. De cuiusmodi fugiendis gran-
de præceptum donat Apostolus 1. ad Timo-
theum scribens. (b) Hæc doce, & exhor- ^{b 1. Tim. 6.}
tare: Si quis aliter docet non acquiescens,
sermonibus Domini nostri Jesu Christi,
& ei, quæ secundum pietatem est doctri-
næ, superbus est, nihil sciens, sed lan-
guens circa quæstiones, & pugnas verbo-
rum, ex quibus oriuntur invidiæ, con-

,, tentiones , blasphemias , suspiciones tri
 ,, larum , conflictationes hominum mente con
 ,, ruptorum : & quia veritate privati sunt
 ,, existimant quæstum esse pietatem. Sequitur
 ,, tandem ibi : (a) Tu autem homo De
 ,, hæc fuge. cap. 6. Quod sub intermin
 ,, tione hæc fugere docet , & acquiescere ser
 ,, monibus Domini nostri Jesu Christi , ad
 ,, ciens , & ei quæ secundum pietatem est do
 ,, ctrinæ , doctrinam & traditionem Ecclesiæ
 ,, voluit intelligi. Unde in eundem locum
 ,, in magna expositione AMBROSIIUS
 ,, Discrepantes à disciplina Catholica , præce
 ,, pit spernendos , maximè qui convicti , &
 ,, correcti , nolunt acquiescere , sed perturba
 ,, tione mentis ; *pravisque contentionibus de
 ,, lectantur , & pascuntur.* Elatus autem vir
 ,, ci se non patitur , quippè cùm ad favorem
 ,, quærendum in conflictum prorumpat.
 ,, Quod à mansuetis , & à bonis viris vitan
 ,, dum est. Contentio enim numquam est
 ,, ne lite , & parum esset si lis sola oriretur , sed
 ,, cooriuntur blasphemias & inimicitias , quod
 ,, à Dei servis alienum est , ab iis autem , qui cor
 ,, rupti mente & veritate privati sunt , utile ju
 ,, dicatur. Hæc ille. AUCTOR. Ecce quod
 ,, Apostolus fugiendos docet discrepantes om
 ,, nines à disciplina Catholica , maximè qui
 ,, victi & correpti nolunt acquiescere. ,, Ha
 ,, tenus Waldensis : qui in Witcleffitis aperte
 ,, fatis cæterorum perstrinxit Novatorum per
 vica

a Tom. 5.

vicacem ac contentiosam superbiam; quorum, alio loco, (a) cum Augustino *variam doctrinam dicit, quæ de lepra mentis erumpit, quam inconstantia parturit, nec commutat in melius, quæ alterius coloris est in fundo Scriptura, alterius in garritu expositionis (contentionis, inquam,) vel assumptionis heretica.* a Tom. 2. p. 101.

Adstipulatur his omnibus Divus Gregorius Magnus, exponens illud Job: *Respondete, queso absque contentione: Neque enim, inquit, Hæretici inquisitionibus suis veritatem conantur assequi, sed victores videri. Cumque se foris ostendi sapientes appetunt, inus per stultitiam, elationis suæ vinculis ligantur. Unde fit ut in contentionum certamine exquirant, & de Deo (qui pax nostra est,) loqui pacificè nesciant, atque ex pacis negotio rixæ inventores fiant: quibus benè per Paulum dicitur: Si quis autem videtur esse contentiosus, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* b Job. 6. Hæc Magnus Gregorius.

Ex dictis hætenus manifestum evadit, contentionis studium semper fuisse hæreseos causam ac notam, cunctisque Novatoribus proprium, omnes enim hoc morbo correpti, partim ingenio suo, ac mentis acumine, atque sophisticis artibus, partim loquacitate nixi, pro suis adversus veritatem erroribus contentiosè decertant. Et, ne hic quoque exempla desiderentur, Arriani certè, ut ex historiis no-

*a Nicoph.
lib. 12, c.
15.*

*b Lib. de
fide.*

*c Lib. ad
Constantium.*

*d Tom. 1.
lib. 2 art.
3: cap. 48.*

tum est, (a) contentiosis disputationibus plurimum confidebant. Cum enim ex luculentis Philosophorum lacunis suos hauserant errores, necesse fuit, ut eosdem quoque philosophicis argutiis ac fulcris sustentarent. Neque verò solus Arrianismus, sed & reliquæ prope modum omnes hæreses, ex corrupta ratione, & Gentili Philosophia promanarunt: ut elegantè veterum quidam, Philosophos Hæreticorum Patriarchas appellavit. Et scitum est, quod Divus Gregorius Nazianzenus (b) Hæreticos Philosophorum discipulos nominavit, unde plerumque sunt contentiosi, & omnia disputando & altercando transigere volunt. Quocirca S. Hilarius (c) admonerat Imperatorem Constantium, non ex Philosophicis altercationibus, sed ex Doctrina Evangelii fidem esse quærendam: *Fidem, inquit, Imperator quæris? audi eam non de novis chartulis, sed de Dei libris... Memento eam non in quaestione Philosophia esse, sed in Evangelii doctrina.* Et Venerabilis Waldensis rutilantissimum illud Ecclesiæ ac Carmeli jubar ita Sophistam Witticless aggreditur: (d) *Solve sophismata, expositiones tuas statue, de sensu composito & diversis intricatos syllogismos intrare compelle, non proderis contra fidem Romanam, quam nec Angelus de caelo poterit mutare.*

Quod si modò mores, & genium novissimorum Novatorum, ad veterum effigiem contemplerur, eos reperiemus contentiosis quo-

que disputationibus causam suam rueri: Sanè hoc vitium ipsis adeò est familiare, ut non modò diffideant ab Ecclesia antiqua, verum inter se quoque magnâ animorum virulentia digladiantur: neque futurum est unquam, inquit U-

a Lib. de
causis &
cap. 7.
b Prov.
13.

Jam, ut ad particularia descendamus novissimorum contentiosorû schismaticorum facinora, quid aliud, teste Gioviano, (c) Christophorum Scaplerum impulit, ut rusticos infestæ libertatis recuperandæ spe incensos, contra legitimos Magistratus in gravissimâ Germaniæ cladem armarer, nisi effrenis contentio? Quid item Thomam Monetarium, qui insulse gloriabatur, sibi revelationes divinitus factas, seq; à Deo constitutum esse Christianæ Religionis collapsæ vindicem & restauratorem, ut vulgi cohortes turmatim educeret, Nobilium aulas diriperet, Monasteria, & bona Ecclesiastica depilaret, nisi improbæ contentionis ardor, ut ait Laudatus Giovanus? Quid item instigavit Hulricum Zvinglium, ut Tigurinis contra vicinas civitates in suam & suorum perniciem (nam ipsemet primo conflictu peremptus est, Tigurinâ tribus præliis fusi & superati fuerunt) arma capere persuaderet, nisi importuna & pertinax contentio? Quò spiritu agitatus fuit Theodorus Beza, cum Henricum suum Regem, quòd no-

c Lib. de
Schism.
cap. 4.

Idem ibid.

M 4

vitiis

vitiis appeteret? An non spiritu dissensionis & discordiæ? Ac ne singula, quæ sunt in hoc genere, infinita enarrem, latè refert Floremundus Remundus, a quâ horrendis laniens, diffractionibus ac injuriis pro suis somniis & comæis inter se digladiantur cohortes Lutheranorum ac Calvinianorum, cæteri; qui à fide Orthodoxa hisce temporibus defecerunt, in quorum disputationibus *solam discordiam & ambitum præsidere*, jure affirmat Floremundus laudatus. Ut enim recens conglutinata faciliè statim dissolvuntur, at difficillimè, quæ multis jam annis velut callû ac duritiem obduxerunt; sic vincula illa, quæ sunt inter novos istos Christianos, faciliè rumpuntur, certo Dei consilio & permisso, ut sic divisi propositum sibi finem de extirpatione penitus Ecclesiæ non assequantur, haud magis, quàm audaces illi incredibilis operis machinatores, qui montes montibus imponere sunt conati, ut imensæ altitudinis turrim ædificarent. Imò haud rarè contra evenit, ut Hæretici ipsi rabidorû instar canum ac luporû sese mordentes dilacerent quoq; ac consumant, uti Babylonica olim turris machinatores linguarum confusione, ac dissensione fuerunt à cæpto opere divino consilio retracti; ut jure gloriatur D. Hieronimus. (b) Hæreticorum diffidia, pacem & confirmationem esse Ecclesiæ, eorumq; de se mutuo victoriam Ecclesiæ triumphû. Ait enim: „ Magna „ vis est veritatis, quæ cum per se intelligi non „ possit, per ea tamen ipsa quæ ei adversantur, „ tur, elucet, ut in natura sua immobilis manens

a Lib. 2.
cap. 13.

b Lib. 7. de
Trinit.

manens , firmitatem naturæ suæ quotidie
 dum attentatur , acquirat. Hoc enim Eccle-
 siæ proprium est, ut tum vincat, cum læditur,
 tum intelligatur, cum arguitur, tum obti-
 neat, cum deseritur: omnes quidem illa
 secum atque intra se vellet manere, nec ex-
 tranquillissimis civibus suis aliquos abjicere,
 aut perdere, dum indigni fiunt tantæ matris
 habitaculo. Sed discedentibus ex ea hæ-
 reticis vel abjectis, quantum amittit
 occasionis largiendæ ex se salutis, tan-
 tum assequitur ad fidem expetendæ de se bea-
 titudinis. Cognosci enim hoc ex ipsis hære-
 ticorum studiis promptissimum est. Nam-
 que cum à Domino Ecclesia instituta, & ab
 Apostolis confirmata, una omnium sit, ex
 qua se diversarum impietatum furens error
 absciderit: nec negari possit ex vitio malæ in-
 telligentia, fidei extiuisse diffidium, dum
 quod legitur sensui potius coaptatur, quam
 lectioni sensus obtemperet: tamen dum sibi
 partes singulæ adversantur, non solum suis,
 sed etiam adversantium est intelligenda do-
 ctrinis, ut dum adversus unam eam omnes
 sunt, impiissimum tamen errorem omnium
 per id quod sola est, atque una, confutet.
 Hæretici igitur omnes contra Ecclesiam ve-
 niunt: sed dum hæretici omnes se invicem
 vincunt, nihil tamen sibi vincunt. Victoria
 enim eorum, Ecclesiæ triumphus ex omni-
 bus est: dum in eo hæresis contra alteram pu-
 gnat, quod in hæresi altera Ecclesiæ fides

„damnat. Nihil enim hæreticis commu-
 „est: & inter hæc fidem nostram dum sibi
 „versantur, affirmant.„ Hæc Divus Hilarius
 Quemadmodum igitur unitas & concordia
 secundum S. Gregorium Nazianzenum, ve-
 ritatis, utpotè indivisa ejus comes, sic diver-
 sitas & discordia est mendacii nota infallibilis.
 Mendacii siquidem, teste Lactantio, (a) na-
 tura est, ut in nullo sibi constet, nihil certum ha-
 beat; veritas e contra semper est uniformis. E-
 dem instar palmæ quanto magis premitur,
 tanto magis contra malignitatem obnititur.
 Veritas Dei est filia & cœlorum civis; ac men-
 dacium diaboli & inferni. Illa quidem in Ca-
 tholica semper Ecclesia reperitur, læto & fere-
 no vultu cœlum suspiciens, unamque vocem
 ac linguam habens: *Et verò evidens est verita-
 tis in doctrina signum*, inquit magnus Athana-
 sius, (b) *si omnes idem sentiant, credant, & lo-
 quantur.* Mendacium verò triste ac morosum,
 depressis in terram oculis, luto affixum hæret
 centum linguas ac centum voces habet, hy-
 dra multorum capitum, Chymera diversarum
 naturarum, ut elegantè observavit (c) Flore-
 mundus Remundus, utriusque sapius Hyza-
 na, inferni denique ostiaria, non triceps ut
 Cerberus, sed innumeris capitibus, nec minus
 dissonò ac variò latratu horribilis. Veritas pa-
 cem, mendacium bellum perpetuum in se ha-
 bet & adfert. Illa in Ecclesia Catholica domi-
 nium sibi elegit, hoc in novorum Evange-
 liorum

a Lib. 9.
cap. 3.

b In Apo-
logia.

c Lib. 2.
cap. 13.

licorum fornicibus ac synagogis stabulatur, quibus nulla est concordia, nisi ad malè faciendum, & malè dicendum. *Non est pax impiis*, ait Esaias vates: (a) Et diabolus pater est dissensionis, Deus verò est Deus unionis & concordiae, in eodem suo paterno sinu suos conservans. Ac velut fluctus maris mutuo sese excipiunt ac frangunt, ita hæreses invicem sese perimunt, ut ex S. vidimus Hilario. Neque unquam ulla fuit secta, ait Floremundus relictus, quæ non eam à qua originem ipsa suam habuerat, condemnarit: de quibus proinde & ab Ecclesia, & inter se dissidentibus verificatur S. Cypriani sententia (b) quæ ait, *Manifestum est eum, Spiritus sancti veritatem cum cæteris non tenere, quem videmus diversa sentire.*

a Cap. 48.

b Lib. 3.
epist. 13.

Hæc Sectariorum discordia, uti ex S. Hilario prælibavimus, mirum est, quantoperè stabiliat Ecclesiæ concordiam & unionem, qua Ecclesia semetipsam in seipsa continet ac constringit, haud aliter, quam universi hujus harmonia & consensus contrariorum inter se elementorum attemperatione conservatur. Hac unione ac fidei ac doctrinæ conformitate Ecclesiæ structura ad hunc usque diem integra stetit, & inviolata: quod Regius Propheta prædixit, ajens: *Custodies eam à contradictione lingue.* Ad quem locum S. Augustinus docet: *Hanc lingue unitatem in sola reperiri Catholica Ecclesia, in qua sub diversis carnis linguis tantum est lingua fidei & cordis.* Et hanc ob causam;

c Psa. 39.

sam;

fam, ut obsevat Floremundus Remundus, in Christianis Ecclesiis populus unius tantum quidem majoris campanæ sonitu ad audiendum Dei verbum, & Christianæ fidei dilectum mysteria convocatur, quamvis aliàs sæpe quando alia sacra fiunt officia, plures simul pulsantur. Fides ergo Catholica uniformis semper est & ubique, at hæreticorum synagoga sedes est divisionis: *Hanc enim unam prophanam, inquit noster Waldensis, (a) Christianorum Secta inter omnes Sectas, & præter ea obtinet, quod sine divisione, aut schismate fides semper docet, & docuit ubique locorum idipsum. & hoc solam omnes hæretici, in quo gloriatur Ecclesia, nituntur evertere, diversas doctrinas & institutiones discordes machinantes, unde scindant Ecclesias.* Et, ut S. Cyprianus movet: *Constituere audent aliud altare, precem alteram, illicitis vota vocibus faciunt, Dominica hostia veritatem per falsa sacrificia prophanant.* Præclarum, ad propositum, locum adfert ex S. Augustino Waldensis, & est iste. *(b) Sacramenta doctrina in omnibus linguis variis. Alia lingua Africa, alia Syra, alia Græca, alia Hebræa, alia illa & illa. Faciunt ista lingua varietatem vestis Reginae hujus. Quomodo autem omnis vestis in unitate concordat, sic & omnes lingue ad unam fidem. In veste ista varietas sit, scissura non sit. Ecce varietatem intelleximus de diversitate linguarum, & vestem intelleximus propter unitatem.* Hæc S. Augustinus, unde sic concludit

Tom. 2.
lib. 2. c. 3.
cap. 47.

Tom. 8.
super psal.
44.

Wald

Waldensis (a). Hoc ergo solum sufficit vincere
 Wiclefistas heretica novitatis, quod fides illorum
 per utramque partem orbis terrarum non est una,
 & per hoc non fides Christiana. Nulli adhuc in
 Gallia eam noverunt: pauci in Alemania, excep-
 ptis paucis Bohemis, ad quas partes duo ex discipu-
 lisejus Hieronymus, & Ioannes Huss codices tran-
 stulerunt: à quorum secundo jam sectatores illius
 heresis ibi appellantur Hussite, amisso nomine
 Principis sui Wicleff, quemadmodum amisso no-
 mine Donati in Africa postmodum sectatores il-
 liss Rogatista dici cœperunt.

Novum igitur non est (ut hoc obiter ob-
 servem) Hæresiarcharum discipulos magi-
 strorum errores permutare addendo, aut de-
 mendo, indeque nomen suum novit sectato-
 ribus imponere; sic etiam hodie Lutherani
 plurimi ac Calviniani non à Calvino aut Lu-
 thero appellantur, sed ab illorum discipulis, alii
 Gommaristæ, alii Arminiani, alii
 Osiandristæ, & aliis nominibus à Calvi-
 ni aut Lutheri discipulis derivatis. De
 quibus omnibus prænuntiavit Christus Do-
 minus, quem ita allegat sanctus Cyprianus
 (b) adversus universos discordes schismaticos:
 Qui non est mecum, adversum me est. Et qui
 non mecum colligit, spargit. Item beatus Ioan-
 nes Apostolus, nec ipse ullam hæresim aut schisma
 discrevit, aut aliquos spectatim separatos posuit,
 sed universos qui de Ecclesia exissent, quique con-
 tra Ecclesiam facerent, Anti-Christos appella-
 vit, dicens: Audistis, inquit, quia Anti-Chri-
 stus

a Tom. 2.
 lib. 2. c. 2.
 cap. 22.

b Lib. 7.
 epist. 6.
 Luc. 11.
 2. Ioan. 12.

stus venit, nunc autem Anti-Christi multi
 sunt. De eisdē idē præmonet S. Martyr ac Pæ-
 sul, eos, ne eorū furens audacia unquā desisteret
 Christi quoque membra in schismatis partem
 strahere & Catholica Ecclesia corpus unū scindere
 ac laniare, ut ostiatim per multorū domos, vel
 pidatim per quasdam civitates discurrentes ob-
 nationis sue, & erroris scissi sibi quarant com-
 Quibus semel responsum dedimus, nec mandata
 desistimus, ut perniciosā dissensione & certamine
 depositā, impietatem esse sciant matrem deserere.
 Hæc S. Cyprianus. Sanctus denique Hilarius
 disertō sermone deplorat fidem omnem per
 Novatorum dissidia ac discordias deperditā
 Scribenda, ait, atque innovanda fidei usus
 levit. Qui postquam nova potius coepit condere,
 quàm accepta retinere, nec veterata defendit, quæ
 innovata firmavit, & facta est fides temporaria
 tius quàm Evangeliorū: dum & secundū an-
 scribitur, & secundū confessionem Baptismi
 tenetur. Periculosum nobis admodum, atque
 iam miserabile est, tot nunc fides existere, quæ
 voluntates: & tot nobis doctrinas esse, quot mo-
 res: & tot causas blasphemiarum pullulare, quæ
 vitia sunt: dum aut ita fides scribuntur, ut
 lumus, aut ita ut volumus, intelliguntur. Et
 eum secundū unum Deum & unum Domi-
 num, & unum Baptisma, etiam fides una sit, ex-
 cidimus ab ea fide quæ sola est: & dum plures
 unt, ad id coeperunt esse, ne ulla sit. Hæc D. Hil-
 larius, & admodum præclare, veritatem ipsius
 comprobante experienciâ.

a Lib. con-
 tra Con-
 stantium
 circa ini-
 dium.

Latè jam ac luculenter ex sacris litteris sanctisque Patribus ostensum est, per studium contentionis, lites, rixas, ac dissidia circa Religionè, fidem pessumdari, Ecclesiæ unitatem discindi, hæresesq; induci ac multiplicari Quis igitur in pervicaces, contentiosos, rixosos, turbulentosque Novatores non legibus, non pœnis, non suppliciis judicet animadvertendum? Nam rectè sanè apud Sapientem scriptum est (a). *Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum.* Nam sicut fluminis inundantis impetus, si molam aggeris sibi oppositam vel tenui rimula perripuit, illicò majorem hiatum ac rupturam efficit, tantoque undarum cumulo illuc provolvitur, ut jam cohiberi nequeat: sic cum per indomitam ac inflexibilem novandi libidinem religio labefactatur, concordia rumpitur, & jurgiorum temulento gurgite pacis vinculum dissipatur, tantum sensim desideriorum flumen inundat, ut sisti, & cohiberi non possit. Verè enim S. Gregorius Nazianzenus ait (b); *Omnis sermo litigiosus, & ambitiosus præcipuum exercitium est ad contentionem majorem.* Eò namque amentia contentionis studio excæcati præcipites aguntur, ut verè in illos competat, quod est à Spiritu sancto dictum (c): *Non recipit stultus verba prudentia, nisi ea dixeris, que versantur in corde ipsius.* Frustra itaque cum hujusmodi rixosis ac pugnacibus omne certamen suscipitur, nisi divina gratia ipsorum rigidas mentes inflectere, & dura

pecto-


a Prov. 17.

b Orac. 22

c Prov. 18

a Rom. 2.

pectora dignetur emollire: quod si divini
mini durâ cervice permaneant rebelles, Apo-
stolicum pertimescant fulmen (a): *lis, qui
ex contentione, & qui non acquiescunt veritati
sed credunt iniquitati, ira & indignatio.*



Caput V. Hydræ.

*Zelus indiscretus, seu prætensa Ec-
clesiæ, quasi in doctrina & mori-
bus deficientis, reformatio, est
prophane novitatis, seu
hæreseos, causa.*

Quod dilectus Domini discipulus, de quibusdam sui temporis Ecclesiæ desertoribus scriptum reliquit: *Ex nobis prodierunt: inquit, sed non erant ex nobis: nam, si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum*: id ipsum eodem verbis, nec minus verò, de iis quoque licet pronuntiare, qui nostro sæculo sub Evangelii prætextu, & ab Evangelio, & ab Ecclesia Catholica se separarunt: nam & illi sanè, relicto genuino ac veteri Christianismo, in quo & nati, & rehati erant, à nobis primum exierunt, quod nec ipsimet dubitant coram toto mundo profiteri, quin & rem hanc laudi sibi deberi duci, existimant: si enim à transfugis illis